

PRECES

OPUS DEI

PRECES

Sérviam!

V /. Ad Trinitatem Beatíssimam.

R /. Grátias tibi, Deus, grátias tibi: vera et una Trínitas, una et summa Déitas, sancta et una Unitas.

V /. Ad Iesum Christum Regem.

R /. Dóminus Iudex noster; Dóminus Légifer noster; Dóminus Rex noster. Ipse salvabit nos.

V /. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

R /. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

V /. Exsurge, Christe, ádiuva nos.

R /. Et líbera nos propter nomen tuum.

V /. Dóminus illuminátio mea et salus mea:
quem timebo?

R /. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me proélum, in hoc ego sperabo.

V /. Ad Beatam Vírginem Mariam Mediatricem.

R /. Recordare, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspectu Dómini, ut loquaris pro nobis bona.

V /. Ad Sanctum Ioseph Sponsum Beatæ Mariæ Vírginis.

R /. Fecit te Deus quasi Patrem Regis, et dóminum universæ domus eius: ora pro nobis.

V /. Ad Angelos Custodes.

R /. Sancti Angeli Custodes nostri, deféndite nos in proélio ut non pereamus in tremendo iudício.

V /. Ad Sanctum Iosephmariam Conditorem nostrum.

R /. Intercede pro filiis tuis ut, fideles spirítui Operis Dei, laborem sanctificemus et ánimas Christo lucrifácere quæramus.

V /. Oremus pro Beatíssimo Papa nostro **N.**

R /. Dóminus conservet eum, et vivíficet eum, et beatum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicorum eius.

V /. Oremus et pro Antístite huius diócesis.

R /. Stet et pascat in fortitúdone tua, Dómine, in sublimitate nóminis tui.

V /. Oremus pro unitate apostolatus.

R /. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te: ut sint unum, sicut et nos unum sumus.

V /. Omne regnum divisum contra se, desolábitur.

R /. Et omnis cívitas vel domus divisa contra se non stabit.

V /. Oremus pro benefactoribus nostris.

R /. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam. Amen.

V /. Oremus pro Patre.

R /. Misericordia Domini ab æterno et usque in æternum super eum: custodit enim Dominus omnes diligentes se.

V /. Oremus et pro fratribus nostris Operis Dei, vivis atque defunctis.

R /. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

V /. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

R /. Et de Sion tuere eos.

V /. Requiem æternam dona eis, Domine.

R /. Et lux perpétua luceat eis.

V /. Requiescant in pace.

R /. Amen.

V /. Dómine, exaudi orationem meam.

R /. Et clamor meus ad te véniat.

Sacerdos, si Preces moderatur, exurgit et addit Dóminus vobiscum, stans etiam dum recitat orationem.

V /. Dóminus vobiscum.

R /. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

Deus, cui próprium est misereri semper et párcere: súscipe deprecationem nostram. Ure igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Actiones nostras, quáesumus Dómine, aspirando práeveni et adiuvando proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper

incípiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum
Dóminum nostrum.

R /. Amen.

Omnes dicunt:

Gáudium cum pace, emendationem vitæ,
spátium veræ pœnitentiæ, grátiam et
consolationem Sancti Spíritus atque in Opere
Dei perseverántiam, tríbuat nobis Omnípotens
et Miséricors Dóminus.

V /. Sancte Míchaël.

R /. Ora pro nobis.

V /. Sancte Gábriel.

R /. Ora pro nobis.

V /. Sancte Ráphaël.

R /. Ora pro nobis.

V /. Sancte Petre.

R /. Ora pro nobis.

V /. Sancte Paule.

R /. Ora pro nobis.

V /. Sancte Ioannes.

R /. Ora pro nobis.

Cum adsit aliquis Sacerdos, dignior ait:

Iube, Domne, benedícere.

Sacerdos benedicit:

Dóminus sit in córdibus vestris, et in lábiis vestris, in nómine Patris + et Fílii et Spíritus Sancti.

R /. Amen.

V /. Pax.

R /. In æternum.

INICIO

CONCORDAT CUM ORIGINALI IN ARCHIVO
PRAELATURAE ASSERVATO. =DR. ERNST
BURKHART. =ROMAE, 9 JANUARIII 2012.

Apud Collegii Romani Sanctae Crucis

Copyright © Prealatura Sanctae Crucis et Operis Dei,
2012.

(pro manuscripto)